



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

8. Discrimen inter bonum & malum latronem, qui cum Christo crucifixi  
sunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

sed fur erat, & jam dudum harpagando se se ad prodicionem faciendam disponebat.

Eiusmodi diuersitatem etiam in duobus latronibus, qui utrimque Christum in ligno pendentem stipauerunt, luculentum exemplum propositum habemus. In eodem agro nequitiæ, in eadem naui crudelitatis, in eadem homicidij mola deliquerunt. Damnantur ambo: ducuntur cum Christo ad supplicium ambo: ambo suspenduntur: ambo, in ipsa lethi janua, vident, audiuntque Christum Saluatorem; prodigia Solis & Lunæ cernunt ambo; ambo, terra contremiscente, in crucibus suis concutiuntur. Quin & ambo, vt volunt Origenes, Athanasius, Hilarius, Chrysoſtōmus, alijque multi & magni authores, paulò antè, conuicia coniecerant in Redemptorem. Quàm in omnibus rebus pares dispari morte defuncti sunt? Vnus post conuicia in Christum iactata, patientia, mansuetudine, miraculis motus, credit; alter in infidelitate perſtitit; vnus, sarcasmi vice, timorem prædicauit, alter conuiciari perrexit: vnus eodem adhuc die cum Christo fuit in Paradiso, alter de cruce lignea ad igneos cruciatus, & æternos gemitus descendit. Vnde hoc discrimen? Non in Christo, qui medius pendens æquè vni ac alteri vicinus fuit; & eadem miracula vtrique spectanda exhibuit. Sed vnum ferrea & obstinata voluntas perdidit; alter in se descendens dignum se suo supplicio, indignum cruce Christum agnouit. Itaque lucem à diuina sapientia effulgentem acceptauit, eamque secutus Christum, & sua delicta confessus meruit intrare in Paradisum. Quemadmodum & alter meruit in Acheruntem præcipitari, quia diuinum lumen & nutum repudiavit. Itaque cum vterque in mola esset impietatis, rotaque scelerum verteretur, quam crudelitas agitabat; alter fuit electus, vt esset *vas misericordiæ*, in quo Christus fidem, humilitatem, poenitentiam, diuinamque suam gratiam deposuit; ipso etiam ad gratiæ acceptationem cooperante; alter verò fuit in suis flagitijs, malitiæque relictus, tamquam *vas iræ*, à Deo, ob culpam obstinationemque suam pertinacissimam reprobatum.

Duo hinc trahenda sunt documenta. Primum est, eos, qui à tentationibus victi percunt, culpam non Deo, sed sibi met ipsis

VIII.

Luc. 23. 39.

Athanasius  
serm. conu.  
omnes hære-  
ses. luuon.  
lib. 4. hist.  
Euang.

Rom 9. 22.

IX.

atque